MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80601-6

AUTHOR: PETER, HERMANN W. G.

TITLE: EXERCITATIONES CRITICAE....

PLACE: POSEN

DATE: [1863]

Master Negative #

92-80601-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

D76

Peter, Hermann Wilhelm Gottlob, 1837-1914.
...Exercitationes criticae in Scriptores historiae Augustae, scr. Dr. H. Peter... Posen, Decker, [1863]
24 p. 25½ cm.

At head of title: Königl. evangel. Friedrich-Wilhelms-gymnasium zu Posen. Zu der... öffentlichen prüfung aller klassen... so wie zur feier des geburtsfestes Sr. majestät des Königs Wilhelm am 22.märz 1863 ladet... ein Prof. Dr. Julius Sommerbrodt...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm   REDUCTION RATIO: 12½x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/20/92   INITIALS BA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Königl. evangel. Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Posen.

Zu der

Montag den 16. März und Mittwoch den 25. März stattfindenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

zum funfzigjährigen Jubiläum des 17. März 1813

so wie

zur Feier des Geburtsfestes Sr. Majestät des Königs

WILHELM

am 22. März 1863

ladet

im Namen des Lehrercollegiums

alle Beschützer Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst und ergebenst ein

Professor Dr. Julius Sommerbrodt

Director.

Inhalt: 1) Exercitationes criticae in scriptores historiae Augustae. Scr. Dr. H. Peter.
2) Schulnachrichten vom Director.

POSEN.

gedruckt in der Königl. Hofbuchdruckerei von W. Decker & Comp.

Hermanni Peteri

EXERCITATIONES CRITICAE

in scriptores historiae Augustae.

Auocato subito collega, qui hoc prooemiandi munus in se susceperat, ad ampliorem prouinciam cum illud opinione celerius mihi contingeret, tempusque mihi deesset, quo ea quae in proximum annum destinaueram, elaborarem, redire placuit ad scriptores historiae Augustae, quorum arte atque ratione emendandorum ante hos tres annos cum fundamenta iecissem dissertatione mea, cui inscriptum est ‚Historia critica scriptorum historiae Augustae', nunc uia praemunita progressus pauca adferam ad ipsa uerba emendanda. Sunt quidem qui oleum et operam me perdidisse existument in his ‚opificibus de plebe' expoliendis; attamen quamquam non possum ei sententiae illis de scriptoribus in uniuersum non adsentiri, uereor ne iniustius iudicium sustineant propter maximas corruptelas, quarum utrum librariis an editoribus maiorem tribuam culpam, nescire me confiteor. Cum enim iam a codicibus uel noni seculi eorum uerba miserrime deprauata exhiberentur, qui ea typis mandarunt saepissime aut in corrumpendo perseuerarunt oblinentes menda non sanantes, aut leuiter uerba quae sana non esse facile perspicitur, intacta transierunt nulla re se ea non intellexisse significantes.

Ad id conprobandum primum exempla quaedam eius generis adferam, in quo librariorum uitia uel turpissima ab editoribus alto silentio praeterita sint, deinde in quo mala editorum sedulitate codicum corruptiones auctae sint, ut multa falso in illos scriptores conferrentur, quae editorum incuriae debentur, cum scriptura codicum leniter mutata ea quae offenderent, amoueri possent.

In uit. Hadriani cap. 2 sermo fit de suspitione Traiani imperatoris in Hadrianum ab hominibus quibusdam malignis mota, dein opera Surae sublata: „Denique statim suffragante Sura ad amicitiam Traiani pleniorem redit nepte per sororem Traiani uxore accepta fauente Plotina, Traiano leuiter, ut Marius Maximus dicit [sic B.*] uolente“, quibus in uerbis neminem fugiet,

*) Eisdem utar codicum siglis, quibus in dissertatione mea, ita ut significetur
littera B: codex Bambergensis a me descriptus, quode uideas dissert. meae p. 20;
P: codex Palatinus a Salmasio Gruteroque passim inspectus (cf. l. s. p. 20);
M: editio princeps Mediolanensis a me conlata (cf. l. s. p. 23).

si quis attentius animum aduerterit, quod omnes editores neglexerunt, non posse conciliari uerba ‚denique' et ‚statim'; aut enim illud aut hoc dicendum fuit, neque ea difficultas ita tollitur, ut ‚statim' arte cum ‚suffragante' coniungendum esse censeamus, cum ne hoc quidem modo apta sententia euadat. Sed quia antea dixit Spartianus, Hadrianum sollicitum de imperatoris erga se iudicio uel Vergilianas sortes consuluisse, aliquantum igitur temporis intermissum esse, antequam Hadrianus Traiano conciliaretur, inesse mihi uidetur corruptela non in uoce ‚denique' sed in u. ‚statim'. quam quidem mutandam esse existumo in ‚priuatim'. ea enim uox aetate illa eandem uim habebat quam ‚singulariter', ‚inprimis'. cf. Alex. 54 ‚tuncque priuatim intellectum est, quantum eius seueritas posset', ubi perperam hanc ueram codicum scripturam editores in ‚primum' corruperunt. Plin. n. h. XXIIII 148 ‚serpentis nidore, cum crematur, priuatim aspidas fugat aut inebriat ita ut torpentes inueniantur'. XXIII 29 ‚priuatim contra buprestim ualet' et 42: ‚uerum quidem remedium est contra cicutas —, priuatim uero contra haemorrhoidas presteras et q. s." — Neque tamen hoc solo loco in uoce ‚statim' inest mendum, etiam duobus aliis eadem ueram scripturam submouisse mihi uisa est; alter eorum non magis ab editoribus temptatus est in uit. trig. tyr. c. 24: „Et cum multa Tetricus feliciter egisset diuque imperasset, ab Aureliano uictus [sic BPM] cum militum suorum inpudentiam et procacitatem ferre non posset, uolens se grauissimo principi et seuerissimo dedit. Versus denique illius fertur, quem statim ad Aurelianum scripserat

Eripe me his inuicte malis",

ubi ‚statim' prorsus superuacaneum est. atque cum eandem rem Eutropius VIIII 13 ita memoriae prodiderit, ut aut eodem auctore uterque usus esse aut Eutropius sua ex Trebellio hausisse censendus esset, conparato Eutropio unam rem a Trebellio, ut uolgo haece traduntur, omissam esse sequitur. Haec enim dicit Eutropius: ‚Superauit in Gallia Tetricum apud Catalaunos ipso Tetrico prodente exercitum suum, cuius assiduas seditiones ferre non poterat. Quin etiam per litteras occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, ut inter alia uersu Vergiliano uteretur: ‚Eripe me his inuicte malis' addens eis, quae Trebellius narrauit, occulto litteras suas Tetricum ad Aurelianum misisse; idque non sine causa adiecisse mihi uidetur, cum maxime Tetrici interesset, ut exercitus quem prodere in animo habebat, nihil de consiliis suis cognosceret. Quae cum ita sint, quid est ueri similius quam in uoce illa latere ‚furtim'? — Multo acriore medicina altero loco opus est, qui est in uit. Pescen. c. 12: „Domus eius hodie Romae uisitur in campo Iouis quae appellatur Pescenniana, in qua simulacrum eius in trichoro constituit statim post annum ex Thebaico marmore, quod ille ad similitudinem sui factum a rege Thebaeorum acceperat". absurda enim sunt quae uolgantur, neque cuiquam Casaubonus eum sanasse uidebitur scribens: ‚constituit Statius Postumius ex Thebaico marmore', nam ne litterarum quidem similitudo, qua ille sola adductus est, ut hoc potissimum nomen eligeret, tanta est, ut inde aliqua ueri species coniecturae accedat. Equidem ut dicam quod sentio, ita scribendum esse censeo: „in qua simulacrum eius in trichoro consistit positum ex Thebaico marmore', illud ‚statim' ex repetitis uocis antecedentis litteris ortum esse arbitratus. neque enim ‚constituit' sine subiecto addito sanum esse poterat neque ‚post annum', cum non dictum esset, unde ratio illa esset instituta. de uoce ‚consistit' conferas uit. Marc. 18: ‚denique hodieque in multis domibus M. Antonini statuae consistunt.'

Sed ut pergamus in enumerandis illis editorum neglegentiae exemplis, in uita Anton. philos. c. 25 de fine Auidi Cassi eiusque propinquorum haec sunt: „Marcus tamen non exultauit interfectione Cassii caputque eius humari iussit. Maecianum etiam filium Cassii, cui Alexandria

erat commissa, exercitus occidit, nam et praefectum praetorio sibi fecerat, qui et ipse occisus est." haec tamen uerba ut tradita sunt, nullo pacto possunt explicari, nam neque id eis dictum esse potest Maecianum creasse sibi praefectum praetorio, cum soli imperatores id facere soliti sint, neque Maecianum praefectum praetorio appellatum esse a patre; ita enim permolestum esset ‚qui et ipse occisus est', quod iam antea est commemoratum, deinde conparato cap. 7. uit. Auid., quo quidem capite plurimae res iam hic narratae redeunt, Maecianum et Cassi praefectum praetorio duos diuersos homines fuisse adparet: „Imperatorio nomine [sic Erasmus; animo BPM cod. Murbac.] cum processisset, eum qui sibi aptauerat ornamenta regia, statim praefectum praetorii fecit, qui et ipse occisus est Antonino inuito ab exercitu; qui et Maecianum, cui erat commissa Alexandria quique consenserat spe principatus Cassio, inuito atque ignorante Antonino interemit." qua re propius ad uerum accedere existumo: „Iam et praefectum praetorio sibi fecerat."

In uit. Veri c. 9 haec edita sunt: „Composito autem bello in Pannonia urgente Lucio Aquileiam rediret, quod urbanas desiderabat Lucius uoluptates, in urbem destinatus est." in quibus ut alia omittam, contra leges grammaticas peccat quod dictum est „urguente Lucio — destinatus est." hic tamen egregie nos iuuat codex B, in quo haec scripta sunt: „urgente Lucio Aquileiam rediere t quoque urbanas desiderabat Lucius uoluptates, in urbem destinatum est" corrigenda illa mea ex sententia hoc fere modo: „Composito autem bello in Pannonia urguente Lucio Aquileiam redierunt, quodque urbanas desiderabat Lucius uoluptates, in urbem festinatum est." quae sana est periodus. Vna tamen in re uereor ne in temeritatis suspitionem incurram, quod conieci ‚festinatum est', cum ‚destinatus est' melius conueniat cum eis, quae in uit. Marc. c. 4 relata sunt: „Placuit autem urgente Lucio, ut praemissis ad senatum litteris Lucius Romam rediret", nam idem erat illa aetate ‚destinare' quod ‚mittere'. uid. Diadum. c. 9: „exstat alia epistola ad matrem ab eodem destinata talis", Gordian. 1: „ut singulos quosque imperatores — libris singulis ad tuam clementiam destinarem", Gallien. 2: „Idem Macrianus Pisonem, unum ex nobilibus principibus senatus, ad Achaiam destinauit ob hoc, ut Valentem — oppromeret." dein Sueton. Galb. 16: ‚Legationem ad praetorianos cum mandatis destinauerunt displicere imperatorem in Hispania factum.' Vlpian. dig. 5, 1, 2: ‚Legatis qui in prouinciam destinati, reuocandi domum suam ius datur', denique ut Du Cange (Glossarium med. et infim. latin. tom. II p. 824 ed. Henschel.) me docuit, ita Ioannes Ianuensis eam uocem explicat: „destinare ἀποστεῖλαι." quae eadem interpretatio est etiam in Labbaei glossariis graeco-latinis p. 36 et 230 ed. Londin. Primum tamen mecum faciunt codices B et P, ex quo eandem Salmasius enotauit scripturam: „destinatum", dein duos fratres una iter ingressos esse, inde colligitur, quod ‚sedentem cum fratre in uehiculo Lucium' apoplexi arreptum periise et Eutropius VIII 10 et Capitolinus in uit. Anton. c. 14 tradunt. haec enim sunt Capitolini uerba, quae excipiunt ea quae modo exscripta sunt: „Via quoque posteaquam iter ingressi sunt, sedens cum fratre in uehiculo Lucius apoplexi arreptus perit", ne ea quidem initio sana. equidem haec conieci: „Vnaque posteaquam iter ingressi sunt."

In epistula Marci Antonini (uit. Auid. Cass. c. 12) hice soloecismus ab omnibus relictus est: „Nunc quod ad defectionem Cassianam pertinet, uos oro atque obsecro, patres conscripti, ut censura uestra deposita meam pietatem clementiamque seruetis, immo uestram, neque quemquam ullum senatus occidat. Nemo senatorum puniatur et q. s." nullo enim pacto ‚quisquam' et ‚ullus' ita coniungi possunt, at uoce ‚ullum' correcta in ‚unum' apte id quod uoluit

dicere M. Antoninus, cum ui quadam effertur. de uocibus ,quisquam unus' coniunctis uideas Haasium not. 361. schol. Reisig. p. 348.

Vitae Commodi (c. 18) adclamatio senatus occiso Commodo ex Mario Maximo interposita est, in qua haec sunt uerba: ,Qui senatum occidit, unco trahatur, qui innocentes occidit, unco trahatur, hostis parricida uere seuere', ubi ,seuere' quid sibi uelit, non intellego, cum id non potuerit optare senatus, ut corpus Commodi mortui ,seuere' traheretur. cum uero in his adclamationibus is sit mos, ut uerbis non parcatur et saepe eadem repetantur, non dubito deleta syllaba ,se' hanc scripturam proponere: „Qui senatum occidit, unco trahatur. qui innocentes occidit, unco trahatur hostis parricida uere uere!" quo eodem modo paullo post senatus adclamauit: „Te saluo salui et securi sumus uere uere!"

In uita Seueri (c. 21) Spartianus omnes prope magnos uiros aut nullos liberos reliquisse aut tales ut illud praeferendum esset, demonstrare studens exempla haece uirorum litteris excellentium praeter alia adfert: „Quid Camillus? num sui similes liberos habuit? — Iam uero quid de Homero, Demosthene, Vergilio, Crispo, [et] Terentio, Plauto ceterisque aliis loquar? Quid de Caesare? quid de Tullio, cui soli melius fuerat liberos non habere?" Qua in serie exemplorum quamquam id relinquendum erit uiti, quod ordo turbatus est Cicerone in mediis eis posito, qui liberos non haberent (quod fecisse existumandus est eo consilio, ut homines litteratos coniungeret), omnes tamen concedent, uocem ,soli' hic omnino ferri non posse. Facile tamen adparet, id dixisse Spartianum, Ciceroni quamuis filium reliquisset, melius futurum fuisse, si in numero hominum, quos ante commemorauisset, adferri posset atque opus esse particula affirmatiua ,sane', ut conexus argumentationis restituatur: „Quid de Caesare? quid de Tullio, cui sane melius fuerat liberos non habere."

In epistula uit. Clodi indita (c. 2) haece pollicetur Commodus Clodio Albino: „Sane ut tibi insigne aliquod imperialis maiestatis accedat, habebis utendi coccini [sic B] pallii facultatem me praesente et ad me et cum mecum fueris, habiturus et purpuram sed sine auro." Ita tamen ut haec uerba uolgata sunt, et molestissime idem ter dicitur a Commodo, cum permittit Clodio pallio coccineo ,se praesente' et ,cum ad se et secum sit' uti, et omittitur, quod Commodum adiecisse ueri simillimum est, etiam se absente eandem facultatem Clodio datam esse. Quae corruptelae suspitio augetur scriptura codd. B et P: ,praesentem' et excerptorum Palatinorum, quae Gruterus a secunda manu exhibere adnotauit: ,me praesente et absque'. quod si recipimus coniecturam illius qui excerpta Palatina emendauit, pro ,ad me' scribentis ,absque me' (cf. Aurel. 33 „non absque [sic B] re est cognoscere") relictum est nobis emendandum ,praesentem', quod ex ,perpetuam' corruptum esse mihi uisum est. Lenis enim est, quam fecimus mutationem, cum ,prae' et ,per' saepe conmutentur, et litterae s atque p in membranis octaui et noni seculi simillima exarentur forma. Etiam aliam nobis suggerit emendationem codex B, in quo cum pro ,accedat' exstet ,accedam', ita totum enuntiatum formauerim: „Sane ut tibi insigne aliquod imperialis maiestatis adiciam, habebis utendi coccini pallii facultatem perpetuam et absque me et cum mecum fueris."

In uit. Opil. c. 11 haec sunt uerba: „His uersibus Macrinus longe peioribus quam illi Latini sunt, respondisse se credidit; sed non minus est risui habitus, quam poeta ille qui de Graeco Latine coactus est scribere." Sed cum antecedat: ,Hos uersus nescio quis de Latinis iuxta eos, qui Graeci erant propositi, in foro posuit' neque quidquam de necessitate, qua ille poeta coactus sit illos uersus Graecos in sermonem latinum uertere, dictum sit, omni caret

ratione: „coactus sit." hanc ob causam praeferendum mihi uidetur: „qui de Graeco Latine conatus est scribere."

Macrinus cum filium suum Diadumenum Antoninum adpellasset, exercitum uehementer laetatum haec adclamasse Lampridius refert (in uit. Diad. c. 1): „Macrine imperator, di te seruent. Antonine Diadumene, di te seruent. Antoninum diuum omnes rogamus." quibus uerbis filium Diadumenum intellectum esse cum adpareat, nescio qui omnes fugerit, nullo pacto exercitum diuum imperatorem nomine Antonini ornatum optare et rogare potuisse. est potius scribendum: „Antoninum dudum omnes rogamus." Neque sequentia uerba sana sunt, cum pergat exercitus: „Antoninum habemus, omnia habemus. Antoninum nobis di dederunt patrem, Antoninus dignus imperio." milites enim Diadumenum puerum, cui soli Antonino nomen inditum est, patrem adpellare non potuisse cum omnes uiderent, uario modo sed ut mihi uidetur infeliciter ea uerba temptarunt, nam a nullo opinor conprobabitur, quod Gruterus coniecit: „Antonino nobis dii dederunt parem" et „Antoninum nobis dii dederunt. per te Antoninus et q. s.", Salmasius excerpta Palatina secutus scripsit: „Pater, Antoninus dignus imperio", Boxhornius seruata scriptura cod. P., in quo ,patris' est, uerba transiecit: „patris imperio Antoninus dignus est". in quibus coniecturis refellendis morari nolo, cum illi ipsi uiri haec magis lusisse quam emendasse sibi uisi sint atque id neglexerint, quod quae sequitur sententia, ut etiam hic a militibus imperatoris facti Diadumeni mentio fiat, postulatur. neque nimis audacter faciemus illud corruptum ,patre', quae est scriptura cod. P et B a. pr. m., mutantes in ,imperatorem', cum saepe haec ipsa uox per conpendium scripta corruptelae ansam praebuerit. Nam ut nunc taceamus aliorum hominum aliquot coniecturas, etiam in uita Alex. c. 25 eadem uox restituenda est, ubi in cod. B scriptum exstat: „Oceani solium primus inter appellauit, cum Traianus id non fecisset sed diebus solia deputasset". hic Bonus Accursius, qui primam editionem curauit, sententiam quidem ueram reposuit intericiens post uocem „inter": „principes", uerba non item; nam cum „inter" in uocem „imperator" mutauerimus, omnia fluunt neque est, cur ad ultimum refugiamus lacunam statuentes. Quamquam enim non negandum est permultum uerba uel singula uel plura omissa contulisse ad hosce scriptores corrumpendos, plures tamen quam necesse est qui nuper in museo Rhenano nouo VII p. 16—51 de scriptoribus historiae Augustae egit Fr. Richter, indicauit lacunas, cum conpluribus locis leni medela omnia sanentur. Vt enim mittam leuiora, quod in uit. Pescenn. c. 11 uerba non recte distinguens in hoc enuntiato „nec sibi umquam uel contra solem uel contra imbres quaesiuit tecti suffragium. similes non habuit" post u. ,suffragium' interposuit (p. 27): „in qua re", cum nihil aliud quam ,si' et ,miles' uerba diuidenda sint: in his uerbis uitae Aurel. c. 28: „Tunc (Zenobia uicta) illae uestes, quas in templo Solis uidemus, consertae gemmis, tunc [sic scripsi; tum codd.] Persici dracones et tiarae, tunc [sic B] genus purpurae, quod postea nec ulla gens detulit nec Romanus orbis uidit" post u. ,dracones' aliquot uerba excidisse existumat. est potius scribendum pro u. ,illae': „allatae" conlato Zosimo, qui de eadem re haec rettulit (I 61,4): „ἐν τούτῳ καὶ τὸ τοῦ Ἡλίου δειμάμενος ἱερὸν μεγαλοπρεπῶς τοῖς ἀπὸ Παλμύρας ἐκόσμησαν ἀναθήμασιν". — Deinde in uit. Auid. c. 9 hanc exhibent scripturam codd. B P et ed. Med.: „Antiochensibus, qui Auidio Cassio consenserant sed et his et aliis ciuitatibus, quae illum iuuerant, ignouit (Marcus)", ubi nihil deesse docetur uerbis uit. Marci c. 25, quibus idem narratur. quae exscribam, quia duobus locis medicina egent: „Ignouit et ciuitatibus, quae Cassio consenserant, ignouit Antiochensibus, qui multa in Marcum pro Cassio dixerant, quibus et spectacula et conuentus publicos tulerat et omne [sic

scripsi; omnium codd.] contionum genus, contra quas [ita emendaui; quos codd.] edictum grauissimum misit.“ In illa enim sententia non solum nihil interponendnm sed etiam tollendas litteras ‚sed et his‘ existumo huc perperam intrusos ex repetitis eisdem fere litteris uersus sequentis: „cum primo Antiochensibus grauiter iratu|s esset his|que spectacula sustulisset.“ — Porro in trig. tyr. c. 21: „quadrigae autem quae decretae fuerant quasi transferendae ad alium positae sunt“ praestare mihi uidetur „ad alium“ mutare in „alibi“, quam „locum“ interponere. — Denique unum adnectam locum, ubi idem Richter (p. 27) uel duas lacunas ponendas esse statuit. qui quoniam miserrime est corruptus, etiam medela grauiore eget. est autem in uita Heliogabali c. 16 sic in codicibus scriptus: „Sed milites et maxime praetorianus [sic B; praetorianis P] uel scientes qui mala in Heliogabalum pararant uel quod sibi uiderent inuidiam factaque conspiratione ad liberandam remp. primum in [deest in P] conscii genere mortis, cum alios uitalibus exemptis necarent, alios ab ima parte perfoderent, ut mors esset uitae consentiens. post hoc in eum impetus factus est atque — occisus.“ quo quidem narratum esse perspicuum est et amicos sodalesque Heliogabali et imperatorem ipsum a militibus occisos esse, dein caussas adlatas cur id facinus perpetrassent; quae uero eae fuerint neque ex codicum scriptura intellegitur neque ex ea, quae uolgatur, qua quoniam Casaubonus est usus fundamento, iure nostro eius coniecturas praeterire possumus. Sed proficiscendum est a parte altera, cuius quamquam uerba in codicibus sana non tradita sunt, tamen ita restituta sunt a Salmasio, ut in eo acquiescere possimus: neglecto enim illo „uario“, quod post Egnatium in tenorem orationis inrepsit, haec ex codicum litteris eruit uerba: „primum consciuere mortem his, cum alios et q. s.“ Pronomen uero hoc rettulit Salmasius ad uerba antecedentia „qui mala in Heliogabalum fecerant“ sic ab eo constituta: „qui malum Heliogabalum fecerant“. qua quidem in re recte intellexit sermonem esse nequire de eis, qui mala in Heliogabalum parassent, sodales eius, qui ei mala consilia dederant, dictos esse ratus. minus tamen feliciter ei res successit in emendando, cum et nimis langueat: „uel scientes qui malum Heliogabalum pararant“, quibus in uerbis potius caussam inesse necesse est, cur milites Heliogabali sodales occiderint, et ex eis, quae antea narrata sunt, adpareat eam potissimum ob caussam, quod Heliogabalus Alexandro consobrino insidiatus esset, odio et ira accensos esse milites. Quo sententiarum conexu adductus sum, ut hanc emendationem aptissimam esse arbitrer: „ulciscentes qui mala in Alexandrum pararant.“ saepe enim accidit, ut ea nomina quorum frequens fit mentio, inter se conmutarentur, uelut in uit. Clod. 14 Iuliani et Albini, in uit. Hadr. c. 7 Hadriani et Traiani, qui errores codicum uel optimorum iam dudum amoti sunt. Iam restat altera caussa „uel quod sibi uiderent inuidiam factaque conspiratione ad liberandam rempublicam“, quae omnibus clara euadet mutato ‚que‘ in ‚pro‘, ita ut tota periodus mea opinione sit constituenda: „Sed milites et maxime praetorianus ulciscentes, qui mala in Alexandrum pararant, uel quod sibi uiderent inuidiam facta [siue „factam“] pro conspiratione, primum consciuere mortem his, — post hoc in eum impetus factus est.“

Sed iam redeo ad uiam institutam: in uita Heliog. inter alios iocos etiam hic narratur (c. 26): „Mittebat parasitis pro cellario [sic Salmasius; cellarios BPM] salarii [sic BPM] annua uasa cum ramis et scorpionibus [sic scripsi; scorpionis B] et cum serpentibus et huiusmodi monstris“. quae uero sint annua uasa, ignorare me confiteor. scribendum est potius: „salarii annui“, saepe enim casuum formae similes redditae sunt formis aut antecedentibus aut sequentibus. ut idem accidit in uit. Pescenn. c. 11: „Idem in contione iurauit se quamdiu

in expeditionibus fuisset essetque adhuc futurus non aliter egisse [sic Salmasius, esse codd.] acturumque esse [sic BPM] quam militem Marium ante oculos habentem et duces tales.“ uehementer enim dubito, num id iurauerit Pescennius apud milites se semper militem futurum esse Marium et duces tales ante oculos habentem, id quod addidisse Spartianum ueri similius est, ut corrigendum sit: „Marium ante oculos habens et duces tales.“ Etiam conmutati inter se sunt casus excipientium sese uerborum in uit. Gord. c. 9, ubi in B est: „Addunt quidam Africanum cognomento Gordiano idcirco inditum“, quod mutandum est: „addunt quidam Africano cognomentum Gordiano idcirco inditum“ et in eodem libro c. 20: „qui quidem (mathematicus quidam) et seni et iuueni et diem et genus mortis et loca, quibus essent perituri, obstinata constantiae ueritate praedixit.“ quae litteris diductis typis exscribenda curaui, cum nulla ex is elici possit sententia, ita sananda esse mihi uidentur: „obstinata constantia ueritatis praedixit“ i. e. ea constantia, quam dare solet conscientia ueri. Denique in uit. Aurel. c. 47 uerba: „Panibus urbis Romae unciam de Aegyptio uectigali auxit“ sic sunt corrigenda: „Panes urbis Romae uncia de Aegyptio uectigali auxit.“

In uita Alexandri (c. 8) responsum quoddam huius principis adiectum est, quo Antonini nomen recusat a senatu delatum, quod ut a codicibus exhibitum intactum exstat in editionibus, prorsus a ratione abhorret. Haec enim editores Alexandrum dicentem faciunt: „Ne quaeso, patres conscripti, ne me ad hanc certaminis necessitatem uocetis, ut ego cogar tanto nomini satisfacere, cum etiam hoc ipsum nomen (scil. Alexandri) licet peregrinum, tamen grauare uideatur. Haec enim nomina insignia onerosa sunt. Quis enim Ciceronem diceret mutum? quis indoctum Varronem? quis impium Metellum?“ Iam id constat Alexandrum exemplis demonstare uelle nomina uirorum magnorum onerosa esse, quoniam necesse esset eum, a quo suum quisque nomen inuenisset, aequare. Sed ut eius uerba scripta sunt, non id eis docetur, sed potius neminem praeclari alicuius hominis nomen cuiquam dare, qui omnino non possit propter diuersam naturam assequi illam laudem, qua ille floruerit; quae quidem sententia ita contra consilium Alexandri pugnat, ut haec illum dixisse existimari nequeat. Itaque ad coniecturam refugiendum est, atque nescio an hac ratio ac mens Alexandri uel qui erat ei ab epistulis, seruetur: „Quis non Ciceronem derideret mutum? quis *non* indoctum Varronem? quis *non* impium Metellum?“ Haec enim egregie concinunt et cum antecedentibus et cum ea sententia, quae sequitur: „Et — ut hoc di auertant — quis non aequantem nomina feret degentem [sic Gruter; digerentem codd.] in clarissima specie [sic BPM] dignitatum?“

Etiam in capite sequenti Alexandri uerba male habita sunt, quibus perseuerat in illo nomine abnuendo: „Neque ego, patres conscripti, idcirco timeo istud uenerabile omnibus nomen accipere, quod uerear, ne in haec uitia delabatur uita aut nos [sic BM] nominis pudeat.“ Nam quae uolgantur ‚aut quod nominis pudeat‘ etiam augent difficultatem, praeterquam quod sola coniectura nituntur, cum nullo pacto potuerit pronuntiare Alexander se pudere uenerabilis illius nominis. Sed quid opus est longius abire a codicum scriptura, cum deleta una littera ‚a‘ uocis ‚aut‘, quae adhaesit ex littera antecedenti perperam bis scripta optimam nanciscamur sententiam: „quod uerear ne in haec uitia delabatur uita ut nos nominis pudeat.“

Denique accedat tertium dictum illius imperatoris (in uit. c. 67) non minus ab omnibus neglectum: „His accessit, quod amicos et parentes Alexander si malos repperit, aut puniuit aut si uetus uel amicitia [haec addunt BPM] uel necessitudo non siuit puniri, dimisit a se dicens: his carior est mihi tota respublica.“ Tantum enim abest, ut eo dicto Alexandrum patriae

amantissimum fuisse declaretur, ut pessimus princeps futurus sit, si diceret se ita tantum si totius reipublicae interesset, prauos amicos suos postponere reipublicae. Sed hoc nemo, qui hance uitam legerit, dictum esse existumabit a Lampridio, qui Xenophontis Cyropaediam imitatus est laudis magis quam ueritatis studiosus. neque quisquam opinor non adstipulabitur mihi scribenti: „His carior est mihi totis respublica.“ Saepe enim illa aetate, ut deinde in Francogallorum usum abiit, u. ‚totus‘ eodem modo usurpata est, quo antea „omnis.“ cf. e. g. Stat. Theb. I 81: „et totos in poenam ordire nepotes.“ Apul. met. III 16: „nunc etiam adulescentem quemdam Boeotium summe decorum efflictim deperit totasque artis manus, machinas omnes ardenter exercet.“ VI 24: „Accumbebat summum torum maritus Psychem gremio suo amplexus. Sic et cum sua Iunone Iupiter ac deinde per ordinem toti dii.“ Neque aliter id uerbum explicandum esse in uit. Max. 21: „Plerique sane dicunt ipsam Hemonam uacuam et desertam inuentam esse a [add. BM] Maximino stulte laetante quod quasi sibi [add. B] ciuitas tota cessisset“ docetur conlato Herodiano (VIII 1,5) qui passim est inspectus a Capitolino: *„ὁ δὲ Μαξιμῖνος ἥσθη μὲν ἐπὶ τῇ τῶν Ἰταλιωτῶν εὐθὺς φυγῇ, ἐλπίζων πάντας τοὺς δήμους τοῦτο ποιήσειν οὐχ ὑπομένοντας τὴν ἔφοδον αὐτοῦ.“*

In uit. Maxim. 20 haec de seditione sub Balbino Romae orta narrantur: „Profecto igitur ad bellum Maximo contra Maximinum Balbinus Romae bellis intestinis et domesticis seditionibus urguebatur, occisis praecipue per populum Gallicano et Maecenate. qui quidem populus a praetorianis laniatus est, cum Balbinus resistere seditionibus non satis posset.“ De eadem uero re prorsus alia idem Capitolinus in uit. Gord. 22 rettulit: „Post hoc [sic BM] ueterani ad curiam uenerunt, ut discerent, quid actum esset. ex quibus duo ingressi Capitolium, quod illic senatus ageretur, ante ipsam aram a Gallicano ex consulibus et Maecenate ex ducibus interempti sunt. atque bellum intestinum ortum est et q. s.“ neque haec neglegenda sunt ad illa uerba diiudicanda, cum et consentiat Herodianus (VI 3,11) qui praecipuus erat fons Capitolino et in uitis Maximinorum et in Gordianis, et his demum uerbis lectis causa intellegatur, cur a praetorianis populum laniatum esse illo priore loco traditum sit. Vix tamen coniectura illum in integrum restitui posse existumo neque quidquam iuuat, quod in cod. B: ‚per‘ ante u. ‚populum‘ est omissum. Quare nihil aliud restat, quam ut aliqua uerba intercidisse statuamus; exempli caussa haec lusi: „Balbinus domesticis seditionibus urguebatur occisis praecipue *duobus praetorianis a Gallicano et Maecenate et instigantibus contra praetorianos* populum Gallicano et Maecenate.“

In uita Maximini iunioris c. 1 inter arras regias, quae ad Iuniam Fadillam illi desponsam peruenerint, haece enumerantur: „Dextrocherium cum copula [sic Casaubonus; codd. costula] de hyacinthis quattuor praeter uestes auratas et omnes regias ceteraque insignia sponsaliorum“, ubi „omnes regias“, quod ferri non posse omnes consentiunt, Bono Accursio debetur, cum B exhibeat: „et omnes auratas.“ quae scriptura quamquam et ipsa corrupta haud audaciore mutatione emendari posse mihi uidetur ita: „praeter uestes auratas et gemmis ornatas ceteraque insignia sponsaliorum.“

Vitae Gordiani tertii (c. 24) primo epistula Misithei soceri ad imperatorem intermissa est, qua gratulatur genero, quod „pepulerit homines per quos antea uelut in auctione positus nundinatus est.“ eam excipit epistula „Gordiani ad socerum:“ — sic enim corrigenda est uox „ipsum“, cum nullo pacto intellegi possit, quod exstat in codicibus et ab omnibus editoribus receptum est: „Item Gordiani ad ipsum:“ — qua de misera sua condicione queritur: „Quid

enim facerem, quod Admauros † [sic BPM] uenderet et consilio cum Gaudiano et Reuerendo et Montano habito uel laudaret aliquos uel uituperaret et illorum consensu quasi testium quod dixerat, adprobarem.“ De emendandis litteris „Admauros“ desperaui, nisi quod ex solis litteris ‚Admau‘ nomen aliquod proprium eruendum, tres ultimas litteras in u. „nos“ mutandas esse existumauerim, sed quod nemo u. „adprobarem“ sanam non esse uidit, ualde miror. primo enim nusquam uerbum adprobandi eam apud hosce scriptores uim habet ut idem sit quod adsentiri uel laudare, sed semper idem dicit quod demonstrare uel ostendere: cf. Get. 5: „familiare illi fuit has quaestiones grammaticis proponere, ut dicerent singula animalia quomodo uocem emitterent — easque de ueteribus adprobarent“ et c. 8: „ut postea nece Pertinacis est adprobatum.“ de relicuis locis adeas sis indicem edit. Lipsiens. s. h. u. Gordiano autem principi ea sola pars agenda erat ut id, quod amicus ille perfidus commendauerat et laudauerat, laudaret atque adsentiretur. Deinde ut illa ui uerbum adprobandi hoc loco uti posse concedamus, prorsus absurda est quae euadit sententia: „Quid facerem, si Ad. — nos uenderet et — illorum consensu quasi testium quod dixerat, adprobarem?“ Sed ne multa, scribendum est „adprobaret.“

In uit. Max. et Balb. c. 2 inter alia ita commendat Vectius Sabinus Maximum et Balbinum, quos imperatores appellandos esse censet: „quorum unus (Maximus) in re militari tantus est, ut nobilitatem generis splendore uirtutis allexerit, alter (Balbinus) ita clarus nobilitate est, ut et morum lenitate reipublicae sit necessarius et uitae sanctimonia, quam a prima aetate in studiis semper ac litteris tenuit.“ neminem offendit quod ab omnibus cogitandi legibus abhorret dictum esse alterum ita clarum nobilitate, ut sit morum lenitate et uitae sanctimonia reipublicae necessarius. quae uero fuerit Sabini illius sententia, id non dubium uidebitur conlatis his eiusdem uitae locis: „Et erant quidem discordiae inter Balbinum et Maximum sed tacitae et quae intellegerentur potius quam uiderentur, cum Balbinus Maximum quasi ignobilem, Maximus Balbinum quasi debilem calcaret“ (c. 14) et „cum igitur duo consulares et eminentes quidem uiri Maximus et Balbinus — quorum alter bonitate, uirtute alter et seueritate clari habebantur, ingressi essent curiam“ (c. 1), denique: „Maximo pater fuit Maximus, unus e plebe“ (c. 5) et „Balbinus nobilissimus et iterum consul rector prouinciarum infinitarum“ (c. 7). praeterea uid. Maxim. c. 20. Itaque et „nobilitate“ et „morum lenitate uitaeque sanctimonia“ seruanda esse adparet, mendumque in ea re inesse, ut falso coniunctae sint hae notiones, nam omnia sana sunt, si sic emendamus: „alter ita clarus nobilitate est, ut et morum lenitate reipublicae est necessarius et uitae sanctimonia.“ Sed ne id quidem iudicium, quod fertur de Maximo omni dubitatione caret, ut iam Casaubonus Salmasiusque uiderunt. ille nesciens quae sit scriptura optimorum codicum, diuinauit ueram huius loci sententiam scribens: „ut nobilitatem generi splendore uirtutis allexerit“; id enim dicere uoluit Sabinus, Maximum quamuis obscuro loco natum nobilem tamen factum esse multis eis rebus, quas praeclare in bello gessisset. plura mutauere Lipsius (in ep. centur. II miscell. 18): „ut ignobilitatem generis splendore uirtutis texerit“ et Salmasius profectus a scriptura cod. P, in quo ut in cod. B est: „uirtutis ei lexerit“: „ut ignobilitatem — illuxerit.“ nimis tamen aberrat ab eo, quod traditum est, Lipsius, Salmasi autem coniectura hoc reprehendendum est, quod uerbum illucescendi cum accusatiuo coniunxit, quod num latinum sit, uehementer dubito. quare aut acquiescendum est in Casauboni emendatione aut, cum notio alliciendi hic minus quadret, seruato „generi“ fortasse corrigendum „adiecerit.“

In uit. Gall. c. 14 hac exstant et in codicibus et in editionibus sententiae peruersae: „Verum cum Gallieni tantam improbitatem ferre non possent, consilium inierunt Marcianus et Heraclianus, ut alter eorum imperium caperet; et Claudius quidem — ut suo dicemus loco — uir omnium optimus electus est", nam cum Claudius non fuisset unus ex illis duobus, non potuisse dici: „consilium inierunt Marcianus et Heraclianus, ut alter eorum imperium caperet et Claudius quidem electus est" quis non uidet? Grauius mendum suspicarer, nisi „alter" iam apud hosce scriptores ut in linguis romanicis quas uocant, idem esset quod „alius." cf Maxim. 8 „qui — alterius rei — artifex esset." Prob. 10 „praefectum alterum non habebo." Firm. 3 „plerique Graecorum alteram tradunt." de scriptoribus sequentis aetatis uid. Du Cange, glossar. med. et infim. latinit. tom. I p. 210. Sola igitur uox „eorum" emendanda restat et quidem ut mihi uidetur in „Romanum." quo facto ea quae sequitur sententia bene respondet antecedenti.

Vopiscus de Aureliani patria disserens (in uit. eius c 3) cum ex diuersa memoria ueram explorare non possit, ita se consolatur: „Nec tamen magnorum principum uirtutibus summa sciendi est, ubi quisque sit genitus sed qualis in republica fuerit." hic uero primo offendit, quod deest praepositio ‚in' ante u. „uirtutibus", quae necessario adicienda fuit, deinde quod, ut ea addatur, ne quadrat quidem „uirtutibus", cum patria non possit haberi in uirtutum numero. Sed auxilio ueniunt cod. B P et ed. M., in quibus non „uirtutibus" sed „uiribus" exstat, ex qua scriptura lenissima mutatione eruimus eam uocem quae sola sequentibus conuenit: ‚in rebus': „Nec tamen magnorum principum in rebus summa sciendi est, ubi quisque sit genitus sed qualis in rep. fuerit."

Idem Aurelianus epistula quadam (cap. 7) uicarium suum adhortatur, ut milites seuerissime in prouinciis contineat: „Vuam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, salem [sic B; sale M], lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De praeda hostis, non de lacrimis prouincialium habeant [sic BM], arma tersa sint." sed ut concedamus non abhorrere a sermone illius aetatis absolute dici „habere" pro „aliquid habere", „diuitem esse", tamen ne ita quidem apta euadet sententia, cum initium possidendi exprimendum fuerit. quam ob rem ita scripsimus: „de praeda hostis, non de lacrimis prouincialium uiuant."

Vitae Flor. c. 3 epigramma inditum est de Taciti imagine quadam: „Imago eius posita est in Quintiliorum in una tabula quinquiplex [sic BP], in qua semel togatus, semel chlamydatus, semel armatus, semel palliatus, semel uenatorio habitu." de qua quidem epigrammatarius ita [al]lusit [sic BM ex dittographia ut mihi uidetur] ut diceret: „Non agnosco senem armatum non chlamydatum inter cetera sed agnosco togatum" Quo cum illum qualemcunque poetam omnes alias uestes excepta una toga non conuenire principi pacis unius et quietis studioso dicere uoluisse adpareat, ferri nequire „inter ceteras imagines eum non agnosci armatum neque chlamydatum" conligitur. Qua re a Vopisco illud epigramma inminutum esse existumo, cum longum ei uideretur omnes illas uestes iam antea conmemoratas repetere, et sic emendo: „Non agnosco senem armatum non chlamydatum et cetera sed agnosco togatum." Deinde transit Vopiscus in eodem capite ad Probum summis laudibus efferendum: „Nunc nobis adgrediendus est Probus uir domi forisque conspicuus, uir Aureliano, Traiano, Hadriano, Antoninis, Alexandro Claudioque praeferendus, nisi quae in illis uaria in hoc omnia praecipua tunc fuere." Etiam hic claudet oratio, neque enim recte dici potuit, eas uirtutes, quae in aliis principibus uariae fuissent, in hoc omnes fuisse, et particula „nisi" hic non est suo loco posita, quia necessario postulatur, ut Vopiscus non inminuat laudes Probo tributas sed potius, quae antea

[nisi] quia in illis uaria, in hoc omnia praecipua [coniuncta] fuere

dixerat, confirmet. Quae cum ita sint, totam periodum ita constituo: „nam quae in illis singularia, in hoc omnia praecipua tunc fuere."

Idem uero quod hic etiam aliis aliquot locis factum est, ut pars tantum uocis alicuius in codicibus exstaret, quae quo modo esset emendanda cum nescirent editores, etiam eam plerumque omiserunt: uel bis id accidit in u. „propere" quam per conpendium scriptam facillume corrumpi potuisse, nemo negabit, qui unquam manu scriptos libros inspexit. primum in uit. Maxim. 14, ubi in hoc enuntiato: „Gordianus — appellatus ab omnibus Afris Augustus cum filio apud oppidum Tysdrum. inde Carthaginem uenit cum pompa regali et protectoribus et fascibus laureatis" inter uu. ‚inde' et ‚Carthaginem' interposita est in B et M uox „per", quam relictam esse ex u. ‚propere' iam supra significauimus. haec enim refert eadem de re Herodianus (VII 6,1), unde sua hausisse Capitolinus uel quicunque huius erat auctor, existumandus est: „ὁ δὲ Γορδιανὸς ἐνδιατρίψας τῇ Θύστρῳ, ἔνθα ταῦτα ἐπράχθη, ἡμερῶν τινῶν, ἤδη φέρων βασιλέως ὄνομα καὶ σχῆμα, ἀπάρας τε τῆς Θύστρου ἐς τὴν Καρχηδόνα ἠπείχθη." alter locus est eiusdem uitae c. 24, quo eadem uox abiit in u. „prae" seruatam illam in cod. B: „Post hoc ingens ex Aquileia commeatus in castra, quae laborabant fame, propere traductus est, fessisque militibus alia die ad [sic BM] contionem uentum est." — In uita Seueri (c. 9) Spartianus postquam populos nonnullos nominauit, qui quod a Pescennio Nigro stetissent, grauibus poenis erant affecti ab imperatore illo, sic pergit: „In multos se animaduertit [praeter ordinem senatorium], qui Nigrum erant secuti", ubi ‚se' quod uolgo omissum intermisi ex cod. B et P, partem esse uocis „saeue" conieci. — Vitae Alexandri (c. 10) haec adclamatio senatus interposita est: „Alexander Auguste, di te seruent, uerecundiae tuae, prudentiae tuae, innocentiae tuae, castitati tuae. hinc intellegimus, qualis futurus sis", sed etiam eam sententiam una syllaba auctam praebent cod. B P, excerpta Palatina, in quibus libris ante u. „uerecundiae" scriptum est: „si." in qua scriptura quamquam „optimum sensum sed paullo obscuriorem" inesse opinatur Gruterus, nondum tamen mihi contigit, ut eum perspicerem. ego uero coruptelam eius generis, de quo agimus, factam esse ratus u. ‚feliciter', quae per conpendium scribebatur „fl", in syllabam „si" abiisse censeo. cf. adclamationem senatus in uit. Com. 18: „Fidei praetorianorum feliciter. praetoriis cohortibus feliciter. exercitibus Romanis feliciter. pietati senatus feliciter." — Denique finem faciat hic Maxim. uit. c. 22 locus: „Vnde etiam postea Maximiniani [emendauit Salm. Maximiani BP] milites iactasse dicuntur, Apollinem contra se pugnasse debere [addunt BP] nec illam Maximi aut senatus sed deorum fuisse uictoriam. quod quidem idcirco ab his fictum esse dicunt, quod erubescebant [sic BPM] armatos se paene ab inermibus uictos." ultima tamen uerba sic a cod. B et P et ed. M. exhibentur: ‚armati sic paene ab inermibus uicti', emendandaque mihi uidentur: „armati scilicet paene ab inermibus uicti."

Saturnini uitae enarrandae hisce uerbis Vopiscus initium facit: „Saturninus oriundo fuit Gallus [sic BP] ex gente hominum inquietissima et auida semper uel faciendi principis uel imperii." Sed ne hic quidem recte opponitur Gallos auidos fuisse uel faciendi principis uel imperii; altero enim loco dicendum fuit Gallos eadem facilitate qua principem fecissent, etiam amouisse. cf. Gallien. 4: „Cumque (Gallienus) ludibriis et helluationi uacaret, neque aliter rempublicam regeret quam [sic. B M] cum pueri fingunt per ludibrium potestates, Galli quibus insitum est leues et degenerantes a uirtute Romana [sic BPM; nimis a codicibus abit Hudemann in Philol. a. 1854 VIIII p. 190: „Galli quibus quidem insitum — degenerantes a seueritate Rom. sed et luxur.] et luxuriosos principes ferre non posse, Postumum [sic BM] ad im-

perium uocarunt exercitibus quidem [sic scripsi; qui B; que uolg.] consentientibus, qui occupatum imperatorem libidinibus querebatur [sic BPM].“ quare conieci: „et auida semper uel faciendi principis uel interimendi.“ Deinde pergit Vopiscus: „huic inter ceteros duces qui uere summus uideretur, Aurelianus limitis Orientalis ducatum dedit.“ sed etiam hic Vopiscum aliter scripsisse ac uolgatur, demonstratur scriptura cod. B, in quo pro u. ‚qui‘ exstat ‚quod‘ et inter uu. ‚summus‘ et ‚uideretur‘ haec interposita sunt: „uerisset certe.“ inde duabus litteris inter se conmutatis haec eruimus: „quod uere summus uir esset certe uideretur.“

In uit. Cari c. 3 queritur Vopiscus de malignitate fortunae, quod optimum quemque principem inmatura morte abripuerit: „Inuidit Claudio longinquitatem imperii amans uarietatum prope et semper inimica fortuna iustitiae.“ qua in sententia et nimis languidum est fortunam ‚amantem uarietatum prope‘ dici et durius ‚semper inimicam iustitiae‘, cum omnia optime fluant locis horum aduerbiorum mutatis: „amans uarietatum semper et prope inimica fortuna iustitiae.“ Saepe enim accidit, ut singula uerba loca conmutarent uel perperam falso ponerentur; illud e. g. in uita Aurel. c. 40: „quam difficile sit imperatorem in locum boni principis legere et senatus sanctioris grauitas probat et exercitus prudentis auctoritas“, ubi est corrigendum: „et senatus sanctioris auctoritas probat et exercitus prudentis grauitas.“ cap. 48 genuina Vopisci uerba esse mihi uisa sunt: „Argumento est id uere Aurelianum cogitasse, immo etiam facere disposuisse, uel ex aliqua parte fecisse, quod in porticibus templi solis fiscalia uina ponuntur non pretio populo eroganda sed gratuito“, cum codices et editiones contrarium referant: ‚non gratuita populo eroganda sed pretio‘, id quod pugnat contra consilium Aureliani antea conmemoratum: „Statuerat et uinum gratuitum populo Romano dare“ (c. 47). Multo inpeditiora haec sunt uerba uit. Ael. c. 5, quae statim ita exhibebo, ut in BPM scripta sunt, nam Egnatius, quem omnes editores secuti sunt, ita nodum soluit, ut uerba, quae difficultatem ei pararant, eiceret: „Atque idem (Aelius Verus) Ouidii ab aliis relata idem Apicii libros amorum in lecto semper habuisse, idem Martialem epigrammaticum poetam Vergilium suum dixisse.“ Traicienda enim nomina Ouidii atque Apicii, cum Ouidius non Apicius libros amorum conposuisset, recte iam uiderunt Casaubonus Salmasiusque neque tamen emendationem absoluerunt, cum ‚ab aliis‘ prorsus neglegerent, et ‚relata‘ ille omitteret, hic intactum relinqueret. In litteris ‚abalii‘ uero latere suspicor Apicii cognomen Caelii, quod hic postpositum esse nomini gentili nulli mirum uidebitur, qui non ignoret uolgarem illius aetatis morem, quare ipsum huius hominis nomen etiam in editionibus nonnullis, nam de codicibus non liquet, ut in Listeriana ita excusum est. Denique deest titulus libri Apiciani uolgo inscripti „de opsoniis et condimentis siue arte coquinaria“, quem in litteras relictas ‚srelatas‘ abire non potuisse satis manifestum est. Praeferendus igitur mihi uidetur alius titulus „praecepta“ petitus ille ex modo quo consilia sua dat Apicius. qui quidem non nimis aberrat a codicum litteris ‚srelata‘, cum, s‘ et ‚r‘ simillume seculo octauo et nono exaratae sint. Haec ergo Spartiani uerba fuisse coniecimus: „Atque idem Apicii Caelii praecepta, idem Ouidii libros amorum in lecto semper habuisse.“

Alterius uero generis, quo hos libros frequenter deprauatos esse supra contendimus, haec sint exempla, quibus singulae uoces falsis locis sunt positae: In uit. Pii (c. 10) haec de muneribus eius referuntur: „Edita munera, in quibus centum elephantos, crocodillos etiam, [sic BPM; uolg.: elephantos et crocutas et strepsicerotas et crocod.] atque hippopotamos et omnia ex toto orbe terrarum cum tigridibus exhibuit. Centum etiam leones una missione edidit.“ iam Salmasium offenderunt uerba „cum tigridibus“, quae omnino inducenda esse censet, cum

iam antea tigrides missos esse Capitolinus conmemorauerit. Sed lenior est medicina positis illis post leones: „centum etiam leones cum tigridibus una missione edidit“, ubi si quis inter uu. ‚cum‘ et ‚tigrides‘ numerum ‚C‘ intercidisse existumet, non habebit me refragantem. — Porro in uit. Comm. 12 et fastis et inscriptione 3284 collectionis Orellianae postulatur, ut quod uolgatur „Cum patre appellatus imperator [secutus sum distinctionem Casauboni] V Kalendas Exsuperatorias Pollione iterum et Apro coss.“ emendetur in „Pollione et Apro iterum coss.“ — Deinde in uit. Seuer. c. 22 conieci: „Die circensium cum tres Victoriolae [sic BPM cod. Murbac.] more solito essent locatae gypseae cum palmis, media quae ipsius (i. e. Seueri) nomine ascriptum orbem tenebat [sic BPM] uento icta de podio decidit et humi stans constitit“, nam in codd. est „de podio stans decidit et humi constitit.“ sed primum non possum intellegere, qui fieri potuerit, ut illa statua stans decideret, deinde in ea ipsa re inerat uis miraculi, ut ea statua, quae Seueri nomine insignita erat, statim stans consisteret, Getae conminueretur, Bassiani „omissa palma uenti turbine uix“ consisteret. — Aemiliani tyranni (trig. tyr. 22) rebus narrandis his uerbis Trebellius Pollio initium facit: „Et hoc familiare est populo Aegyptiorum, ut uel furiosi ac dementes de leuibus quibusque ad summae reipublicae pericula perducantur“; in quibus quid sibi uelit u. „uel“ ante u. ‚furiosi‘ uix intellegitur, quam quidem multo aptiore loco ante u. „de leuibus“ esse concedendum erit. Sed modo ea uerba ita exhibuimus, ut sunt in editionibus; nam in cod. P et ed. M est omissa u. ‚est‘ et pro u. „populo“ exaratum: ‚populi‘, pro uu. „leuibus quibusque“: „leuimus quibus usque.“ Et sane carere possemus uoce „est“, cum uero me in antecedentibus quidem uitis ulla iniecta sit mentio morum Aegyptiorum, permolestum est quod initio uitae est „et“, ita ut id in u. „est“ corrigendum esse suspicer. Deinde quam exhibent codd. B et P scripturam „de leuimus quibus“ iam emendauit Salmasius: „de leuissimis rebus“ sed praeteriit id quod in sequentibus uerbis latet mendum, non enim fuit dicendum ad summae reip. pericula Aegyptios perductos esse sed „ad summa reip. pericula“ conlatis uerbis sequentibus, quae statim ita scripsi, ut mihi emendanda esse uisa sunt addito exordio uitae modo correcto: „Est hoc familiare populi Aegyptiorum, ut furiosi et dementes uel de leuissimis rebus usque ad summa reip. pericula perducantur. Saepe illic [sic scripsi; ‚illi‘ codd. et edd.] ob neglectas salutationes, locum in balneis non concessum, carnem et olera sequestrata, calciamenta seruilia et cetera talia usque ad summum reipublicae periculum seditiones [sic B; seditionis uolg.], ita ut armarentur contra eas [sic scripsi; eos uolg.] exercitus, peruenerunt.“ — Vt numerum triginta tyrannorum expleret, Trebellius cum uel mulieres duas in librum suum recepisset, acerbissime reprehensus erat; qua re adductus est, ut duos adderet tyrannos „unum qui fuit Maximini temporibus alterum qui Claudii, ut triginta tyrannorum uitae [sic correxi pro eo, quod uolgabatur „tyrannorum uiri“] hoc uolumine tenerentur“ (trig. tyr. 31) neque potest dissimulare gaudium suum, quod nulla iam esset ansa reprehendendi: „Nemo in templo Pacis dicturus est, me feminas inter tyrannos cum risu et ioco tyrannas uidelicet uel [sic BP] tyrannides, ut ipsi de me solent iactitare [sic BM] posuisse.“ Quae uerba nullo pacto sana esse possunt, immo risum et iocum ad criticos illos esse referendum neminem fugit. Itaque hoc ordine uerba traicio: „Nemo in templo Pacis dicturus est me feminas inter tyrannos, tyrannas uidelicet uel tyrannides, ut ipsi de me solent cum risu et ioco iactitare, posuisse.“ — Eodem modo alius eiusdem libri locus (c. 14) sanandus esse mihi uidetur: „Idem quoque adulescens dignissimus Romano imperio fuit, ut uere Macrini [sic scripsi Zonaram XII 24 p. 598 sqq. ed. Bonn. secutus uolg.

Macriani] filius, Macriani [sic Salmas.; uolg. Macrianus] etiam frater, qui duo adflictis rebus potuerunt remp. gerere. Videretur [BP] non mihi [BM] praetereundum [BPM] uidetur [adicit B] de Macrianorum familia, quae hodieque floret, id dicere, quod speciale semper habuerunt.“ hic enim non mutandum est „uideretur“ in „uidetur“, alterum „uidetur“ delendum, quod aliis placuit, sed illud priori sententiae addendum, quae uerbo eget, alterum suo loco seruandum est: „ut uere Macrini filius uideretur, Macriani etiam frater. — Non mihi praetereundum uidetur de Macrianorum familia et q. s.“ — Denique una uoce traiecta uerum enuntiatum efficiemus in uit. Numer. c. 11: „Versu autem talis fuisse praedicatur, ut omnes poetas sui temporis uicerit. Nam et cum Olympio Nemesiano contendit, qui ἁλιευτικὰ κυνηγετικὰ et ναυτικὰ [Ixeutica Bernhardy hist. litter. roman. p. 500] scripsit inque omnibus coloniis illustratus emicuit et Aurelium Apollinarem iamborum [amborum codd. correxit Vrsinus] scriptorem, qui patris eius gesta in litteras rettulit, isdem, quae recitauerat editis ueluti radio solis obtexit.“ nam totam periodum turbat, quod in edd. est: „contendit, ἁλιευτικὰ — quique omnibus.“ Veram autem emendandi uiam etiam hic nobis monstrauit cod. B qui non „quique“ sed „quinque“ exhibet.

In is, quae disputauimus, consulto omisimus nomina propria, ut aliquot emendationes coniunctas proponeremus; largam enim ea suppeditant coniciendi materiam atque etiam haec saepe magis corrupta exhibentur ab editionibus quam a codicibus. plurima iam in integrum restituerunt partim ex codicibus partim proprio Marte et Casaubonus Salmasiusque in notis hisce scriptoribus additis et Borghesi in conpluribus conmentariis et alii, exiguam stipem etiam nobis nunc conferre liceat: Primum substituo in uit. Com. 4: „In exilium autem acti sunt Aemilius Iunctus et Atilius Seuerus coss.“ loco ‚Iuncti‘: ‚Iuncum‘, cum hi sint in fastis consules anni 182: „ex Kalendis Iuliis: Aemilius Iuncus Attilius Seuerus.“ — In uita Iulian. c. 6 editum est: „Haec tamen agenti Iuliano Faustus Quintillus consularis augur contradixit“, sed in codd. B et P est pro nomine Fausti: „Phaustius“ neque nihili ea est facienda diuersitas, nam saepe pro ‚ph‘ quidem est exarata ‚f‘ littera, rarissime, quod equidem sciam, pro ‚f‘: ‚ph‘. Corruptam sane eam scripturam esse concedimus sed quae facile emendari possit; una enim lineola deleta habemus consulem anni 159 et 177: ‚Plautium Quintillum.‘ — In uit. Alex. c. 17 nomen Septimii Arabini, ubi primum eius mentio fit, corrigendum est in ‚Arabiani‘, cum deinde in cod. B sit: „O Marna [sic BP], o Iuppiter, o di immortales, Arabianus non solum uiuit, uerum etiam in curiam uenit.“ — In trig. tyr. c. 9 bis idem nomen ‚Veneriani‘ in ‚Veriani‘ deprauatum est: „Exstat sane epistola Gallieni, quam ad Celerem Venerianum scripsit — quam ego — interposui —: Gallienus Veneriano.“ sine dubio enim idem fuit Gallieni dux qui Gall. 13 conmemoratus est: „Veneriano item duce nauali bello Gothi superati sunt, cum [sic BPM] ipse Venerianus militari periit morte.“ quod nomen satis firmatum est inscriptionibus e. g. Mommseni I. R. N. 1537. 3209. 3419. 3420. 3841. — In uit. Aurel. c. 13 nomen consulis ordinarii a. 258 non est Memmii Fusci, ut in codd. et edd. scriptum est, sed Memmii Tusci; sic enim appellatur et in fastis et in trig. tyr. c. 9, ubi perperam hoc nomen corrupit Bonus Accursius, cum non solum in B et P sed etiam in libris Casauboni exstet: „Tusco et Basso coss.“ — Eisdem ex fastis corrigendum est nomen consulis a. 275 in uit. Tacit. c. 3 ‚Velii Cornificii Gordiani‘, erat enim eo anno consul Vettius Cornificius Gordianus. — Vitae Flor. 6 interpositae sunt litterae Claudii cuiusdam Sapiliani, quod nomen cum non esset Romanum, editores liberius mutauerunt in ‚Capellianus‘, quare praeferendum

fortasse sit ‚Sapidianus‘, quod nomen est in inscriptione 4023 Mommseni I. R. N. — Difficilior est locus uitae Hadr. c. 3 iam multum uexatus ille ab editoribus, uolgo sic scriptus: „Praetor factus est (scil. Hadrianus) Surano bis et Seruiano iterum coss, cum sestertium iterum uicies ad ludos edendos a Traiano accepit“, a qua scriptura ita discedunt BPM, ut Surani nomini praeponant ‚sub‘ praepositionem, quam, cum rarissime adiceretur consulum nominibus, ei, qui haec uerba temptauerunt, excepto uno Salmasio omnes neglexerunt. Sed ne sic quidem in integrum ea restituta sunt. Cum enim antea sit conmemoratum Hadrianum fuisse quaestorem „Traiano quater et Articuleio coss.“ (ita enim est initio capitis cum BPM scribendum, cf. inscript. Henzen. 5958. 6664) i. e. anno 101, Dacicae expeditioni anni 104 (cf. Clinton. fast. Rom. a. h. a. Cass. Dion. 68, 16) eum interfuisse eumque tribunum plebis fuisse Candido et Quadrato iterum coss. a. 105: illum praetorem post a. 105 fuisse conligitur. Atqui cum deinde addatur Hadrianum post praeturam in Pannoniam inferiorem missum Sarmatas oppressisse, disciplinam militarem tenuisse, procuratores latius euagantes cohercuisse, ob hoc consulem esse factum atque hoc munere anno 109 primum functum eum esse constet: praeturam inter annos 105 et 109 administratam ab eo esse censendum est. Sed hoc temporis spatio neque Seruianus neque Suranus iterum consules fuere, cum fasti Norisiani Idatianique et chronicon Paschale Suranum cum Marcello iterum (a. 104) consulem fuisse tradant, inscriptiones aliquot (ap. Gruter. 175, 10. 190, 6. 1083, 9) Seruianum altero consulatu functum esse cum L. Fabio Iusto (a. 111) certiores nos faciant. Quae si recte disputauimus, etiam „lapidem ueterem apud Onuphrium“ ex officina falsarii profectum esse concedetur, in quo haec inscripta esse Casaubonus dicit: „C. Iulio Seruilio Vrso Seruiano et Surano II coss.“ praeterquam quod alia in inscriptione (ap. Orell. 2336) huic eidem Seruiano Luci praenomen adtributum est. Cum igitur neutrum neque Seruianum neque Suranum illis annis alterum consulatum gessisse demonstrauerimus, quonam modo haec menda uerborum Spartiani sananda sint quaeritur. alterum uero recte mihi iam Doduellus (in praelectionibus Camdenianis p. 431) sustulisse uidetur omnino inducens ‚iterum‘ uocem post ‚Seruiano‘ additam, quae nescio an inrepserit ex eadem uoce paulo post sequenti perperam repetita. in priore ‚Subsurano‘ equidem latere suspicor Saburani nomen, quod quamquam in fastis non adfertur, saepe tamen etiam suffectorum consulum nominibus ad annos significandos esse usos scriptores constat et conspicuum eum fuisse illius aetatis hominem ex Aurelio Victore (Caesar. 13,8) sequitur, qui praefectum praetorio Traiano imperatore eum fuisse memoriae tradidit. Ita igitur illa uerba constituo: „Praetor factus est Saburano bis Seruiano coss.“ — De Macrini uita „quando nuntiatum est Varium Heliogabalum imperare [sic scripsi pro ‚imperatorem‘ uel ‚imperatore‘ ut est in B, quod utrumque ferri nequit] cum iam Caesarem Alexandrum senatus dixisset“, Aurelius Victor conperisse se ait (in Capit. Opil. 4), eum sub Commodo seruilibus officiis occupatum esse in domo imperatoria, a Seuero remotum etiam a miserrimis officiis: „Donatum autem anulis aureis patrocinante sibi conliberto [sic egregie amicus quidam; non liberto BP; liberto uolg.] Festo aduocatum fisci factum sub Vero Antonino.“ Ab Vero autem Antonino eum fisci aduocatum fieri non potuisse iam intellexit Casaubonus, nam hic imperatorem aliquem esse dictum necesse est, qui regnauit post Seuerum, neque Verum illum, qui mortuus est quadraginta quinque annis, antequam factus est Opilius imperator. Minus tamen felix fuit Casaubonus in ipsa medela, cum hanc scripturam proponeret: „sub Seuero uel Antonino“; quam Salmasius amplexus est, nisi quod ‚sub‘ uoci praepositionem ‚a‘ praetulit. Primum enim mirum esset, si hoc quod prae ceteris scire potuit senator

ille, ita pronuntiasset, quasi de hac re minus certus factus esset, praesertim cum ei ipsa asseueratione species ueritatis concilianda esset. dein etiam repetita Seueri mentio, postquam iam antea ab eodem Opilium ab miserrimis officiis remotum esse dictum est, hic est permolesta. id quod nec ipsum Casaubonum fugisse uidetur, cum altero loco delendum esse censeret „Vero." neque tamen ulla caussa probabilis excogitari potest, cur hoc nomen in contextum orationis inrepserit. quare non in delenda sed in emendanda ea uoce salutem huius loci constare existumauerim. Iam id primum adparet, aliud in ea latere imperatoris nomen neque amplius dubitandi campus patet, cum solus Caracallus imperator, cui Antonino cognomen fuisse satis notum est, Macrini uita usque ad Seuerum deducta dici potuerit. cuius nomen per conpendium scriptum, in ‚Vero' corruptum esse censeo. nam etiam Cassius Dio 78,11 p. 424 Bk. ab Caracallo Antonino Macrinum ad ampliorem gradum promotum esse refert: „πρὸς δὲ τοῦ Ἀντωνίνου ὀνόματά τινα ἐπιτροπείας ὀλιγοχρονίου λαβὼν ἔπαρχος ἀπεδείχθη καὶ διῴκησε τὰ τῆς ἡγεμονίας ταύτης ἄριστα καὶ δικαιότατα, ὅσα γε καὶ αὐτογνωμονήσας ἔπραξεν."

Omnino euanuit nomen proprium in uit. Alex. c. 65, ubi id quidem a Salmasio restitutum est, nondum tamen relicua ita emendata, ut legenti satis fiat. Sic autem est in B et P scriptum: „Et id quidem ab Homulio ipsi Traiano dictum est, cum ille diceret, Domitianum pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse atque ideo illum magis odio fuisse rempublicam temporis uitae ille quam melius est unum malum pati quam multos. Et ut ad rem redeam, Alexander quidem et ipse optimus fuit", quae summa cum libidine uel in peius mutata sunt a Bono Accursio, quem omnes deinceps editores sunt secuti: „atque adeo illum magis odio fuisse qui rempublicam peioris uitae hominibus commendauerat, quia melius est et q. s." Summam tamen praebet offensionem uox ‚illum', nam neque Domitianus intellegi potest neque quisquam alius antea conmemoratus est, ad quem hoc referatur pronomen. Etiam id, quod Casaubonus coniecit ‚Heliogabalum' pro ‚illum' inprobandum est, cum hic referantur, quae Homullus (id enim nomen restituit Salmasius conlato Anton. c. 11 et Marc. c. 6) ad Traianum locutus sit, et quamquam id uerum est, quod Casaubonus affirmauit, saepe hoc pronomine significari Heliogabalum nomine ipso non addito, semper tamen adiectum est pronomini nomen aliquod ut ille subditicius c. 5, inpurus ille c. 22, pestis ille c. 1, illa clades c. 2, similia. Quare cum princeps aliquis, qui ante Traianum regnauit, dicendus fuerit, Salmasium uerum uidisse nemo negabit, qui Claudii nomen reposuit. Minus tamen feliciter ei res cessit in relicuis uerbis, quae sic constituit: ‚atque ideo Claudium magis odio fuisse in re publica temporis sui quam ille, quia melius est', quia nimium aberrauit a uestigiis codicum, quamuis sententiam ueram diuinaret. accedit quod uix latine dici potest ‚in republica temporis sui', cum nusquam u. respublica eandem uim habeat ac ciuitas. Quare cum eadem uox in uersu sequenti prima a manu in cod. B exarata exstaret: „ut et ad remp. redeam", falso eam huc intrusam esse arbitratus sum. iam restant litterae „temporis uitae", quas mutaui in „tempore suae uitae", et „ille quam", quae emendandae mihi uidentur in „illo quoniam", nam ‚quoniam' in codicibus illius aetatis fere semper abbreuiatum est in ‚quō'? Ablatiuum autem ‚illo' quamuis durum neque tamen contra horum scriptorum consuetudinem positum esse his uerbis paulo antecedentibus demonstratur: „Notum est illud pietati tuae, quod in Mario Maximo legisti, meliorem esse rempublicam et prope tutiorem, in qua princeps malus est, ea in qua sunt amici principis mali." Denique quod in sequentibus scripsi pro uerbis „multos, et ut ad rem redeam": „multa; sed ut ad rem redeam" id per se conprobatum iri spero.

Totam igitur sententiam partim e Salmasi partim ex mea emendatione sic restitui: „Et id quidem ab Homullo ipsi Traiano dictum est, cum ille diceret Domitianum pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse, atque ideo Claudium magis odio fuisse tempore suae uitae illo, quoniam melius est unum malum pati quam multa. Sed ut ad rem redeam."

Similiter etiam in uit. Heliog. c. 8 nomen proprium in uerbum uolgare corruptum est: „Insecutus [sic BP cod. Murb. ed. M] est (sc. Heliogabalus) famam Macrini crudeliter sed multo magis Diadumeni, quod Antoninus dictus est, Pseudoantoninum — ut [sic BM] Pseudophilippum — eum appellans simul quod ex luxuriosissimo exstitisse [sic BP] uir fortissimus optimus grauissimus seuerissimus diceretur. coegit denique scriptores nonnullos nefanda immo potius mipace de eiusdem dictum luxuria disputarent in uita eius." Postrema uerba statim ita exhibui, ut sunt in B et P, nam quae uolgantur „coegit denique scriptores nonnullos nefanda imo potius non ferenda eius dicta de luxuria disputare in uita eius" tam absurda sunt, ut eorum rationem habere superuacaneum sit. Vt proficiscamur ab eis uerbis, quae emendasse nobis uisi sumus, non posse ferri, quod Salmasius ex ed. Med. reposuit pro ‚dictum': ‚dicta' nemo non intellegit, cum omnino nihil de Diadumeni luxuria antea narratum sit, praeterquam quod participi forma etiam his in libris nimis dura est. Latere potius suspicor in ‚dictum' nomen ‚Diadumeni', neque poterit offendere hic pronominis ‚idem' usus conlatis hisce exemplis: „missi tamen a senatu quorum cura per militem gregarium in Palatio idem Iulianus occisus est fidem Caesaris implorans" Iul. 8; „uerum ingens periculum adit seditione legionis paene occissus, certe inter occisos relictus. quam quidem rem idem Pertinax acerrime uindicauit" Pert. 3; „atque in consobrinum eiusdem Heliogabali Alexandrum — inclinauere animos" Heliog. 5; „Pugnatum est in Achaia Marciano [sic Casaub.] duce contra eosdem Gothos." Gall. 6, dein nomine non addito Clod. 5: „quod eum illic [sic scripsi; illis B; ille uolg.] sortem de fato suo tolleret, his uersibus eidem dicitur esse responsum." Quae uero antecedunt litterae ‚mipace' recte emendauit Vrsinus (fragment. histor. p. 504) in ‚impia', nam quod Salmasius „mira" proposuit Vrsini coniectura reiecta, multo minus mihi placet, cum antecedente uoce „nefanda", cuius uis nondum sufficiebat Lampridio, notione multo grauiore opus sit. Denique restant in enuntiato priore uerba „ut Pseudophilippum", quae nullo pacto explicari possunt, nam quod Salmasius eum ita Pseudoantoninum appellatum esse sicut olim quendam Pseudophilippum interpretatus est, prorsus non uideo quomodo his in uerbis inesse possit „Pseudoantoninum ut Pseudophilippum appellans." neque quidquam iuuat, quod uolgo editum est „et Pseudophilippum", omnis enim deest ratio, cur Heliogabalus Diadumenum Antoninum Pseudophilippnm appellauerit. Verum hic iam intellexit Salmasius, quod praeter illam, quam modo conmemoraui sententiam, alteram secundo loco posuit, qua haec uerba pro glossemate habenda atque omnino eicienda esse censuit.

Sed ne nimis audacter patrocinium horum scriptorum agere uideamur etiam hoc corruptionis genere statuto, liceat nobis, quoniam nemo adhuc eam in rem dedita opera inquisiuit, paulo liberius euagari, ut inrepsisse glossemata in tenorem orationis demonstremus, quamquam non ignoro equidem inpeditiorem hic esse eam quaestionem, cum saepe uix internosci possit, quid ab his hominibus scriptum esse arbitrandum sit, quid ab glossatore profectum.

Sed tamen aliquot sunt loci, quibus glossemata ita manifesta sunt, ut iam Bonus Accursius ea perspexerit, et si concesseris, fuisse glossemata in illo codice archetypo, ex quo omnes quos quidem nouimus, libri manu scripti fluxerunt, non poteris non adsentiri nobis idem de

aliis locis iudicantibus. Vt enim primum duos recenseam, de quibus iam dudum apud omnes constat, in tenore orationis uit. Hadr. c. 20 post uerba: „Vno tempore scripsit dictauit audiuit et cum amicis fabulatus est“ in BPM addita sunt „si potest credi“, quae prorsus aliena sunt ab ingenio Spartiani, qui nusquam artem criticam, si fas est dicere, exercendam sibi esse putauit. Neque magis dubitatio erit de alio loco uit. Clod. c. 5, quem statim ita exscribam, ut a cod. B et ed. M exhibetur: „Nam et bos albus purpureis ad plenum colorem cornibus natus est, quod mirandum fuit cum cornibus. quae tamen in templo Apollinis Cumani ab eodem posita iam tribuno diu fuisse dicuntur, quod cum illic [sic scripsi, uid. p. 17] sortem de fato suo tolleret, his uersibus eidem dicitur esse responsum.“ quo quidem haec caussa interpolanti fuit, ut animos legentium ad id aduerteret non tam in eo constare miraculum, quod cornua purpurea fuerint, quam quod bos natus esse cum cornibus. Delenda autem esse uerba „cum cornibus“ cum non fugisset editores, media tamen in uia substiterunt, quod ‚cornua‘ post „quae tamen“ interposuerunt, atque nescio an etiam quod antecedit „quod mirandum fuit“, eodem ex ingenio quo ‚cum cornibus‘ exierit. Nec uero inprobarem, si id adiecisset Capitolinus, iam tum omnibus purpureum cornuum colorem mirandum fuisse atque futuram Clodi magnitudinem significare uisum esse, sed hanc opinionem confirmatam esse miro illo responso, quod dein refertur, in templo Apollinis Cumani lato. quae autem tradita sunt uerba, neque illud dicunt et uehementer languent, cum nullius sint momenti neque quidquam aliud quam repetant, quod per se satis adparet.

Aliud est genus glossematum, quae ad singula uerba explicanda addita postea a librariis in tenorem orationis recepta sunt, quorum duo exempla libet ponere; alterum est in uit. Auid. c. 4 indicatum iam a Casaubono: „Primus etiam id supplicii genus inuenit, ut stipitem grandem poneret pedum octoginta et centum [id est materiam] et a summo usque ad imum damnatos ligaret et ab imo focum adponeret incensisque aliis alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret.“ sed non est adiectum „id est materiam“ ad uocem ‚stipitem‘ interpretandam, ut ille uir doctissimus censuit, sed ad „focum“, ut recte iam Gruterus monuit. — Idem Casaubonus, quocum consenserunt Lipsius el. I 30 et Salmasius, primus recte de hoc loco uit. Alex. 43 iudicauit: „Et nundinia [sic BPM] ueteri [sic Casaubonus; uetera codd.]. ex ordine instituit [uel dies uel tempora]. quaestores candidatos ex sua pecunia iussit munera populo dare sed ita [sic M; sed icta BP] ut post quaesturam praeturas acciperent et deinde [sic BPM] prouincias regerent“, quod uerba, quae uncis inclusi, ad nundinia explicanda adscripta arbitratus omnino deleuit.

Denique accedit tertium glossematum genus adspersum ab hominibus haud inscitis, qui magis res quam uerba spectantes diuersissimi argumenti notas adscriberent; luculentissimum eius est exemplum in uit. Aurel. 32: „Princeps igitur totius orbis Aurelianus pacatis Orientem Gallis atque ubique terrori uicto eripe me his inuicte Romam iter flexit, ut de Zenobia et Tetrico, hoc est de Oriente et de Occidente triumphum Romanis oculis exhiberet.“ haec enim scripta sunt in B et P, cum nullo nitatur fundamento, quod uolgo editum est: „pacatis per Orientem Gallis atque undique terris Romam iter flexit.“ Sed primum emendanda sunt, quae omni carent sententia: ‚Orientem‘ ex quo feci ‚Oriente et‘ deinde „terrori uicto“, quod egregie Salmasius correxit ita: „terrore iniecto.“ iam relicta sunt uerba „eripe me his inuicte“, quae omnia turbant. cum uero eadem Tetricum scripsisse ad Aurelianum, cum se ei traderet, Trebellius Pollio in trig. tyr. c. 24 rettulerit, neminem opinor habebit Salmasius re-

fragantem, qui illum uersum Vergilianum ab aliquo, qui illius loci triginta tyrannorum meminisset, ad oram codicis additum, dein neglegentia librari in contextum inrepsisse coniecit. Haec igitur Vopiscus scripsisse censendus est: „Princeps igitur totius orbis Aurelianus pacatis Oriente et Gallis atque ubique terrore iniecto Romam iter flexit.“ — Neque minus certum iudicium de hoc loco uit. Claud. 6 ferre possumus: „Nam ut superius diximus, triginta [add. BPM] illi Gothi, qui euaserant eo tempore, quo illos Marcianus [sic Salmas., Macrianus codd.] est persecutus, quosque Claudius emitti non siuerat, ne id [sic scripsi; quid uolg] fieret, quod effectum est, omnes gentes suorum ad Romanas incitauerunt praedas.“ Remansit enim „triginta“ ex nota alicuius, qui indicare uoluit, quo superiore loco id dictum esset, quamquam in hoc memoria falsus est, cum id Trebellius Pollio non in triginta tyrannorum uitis narrauerit, sed in Gallienis (c. 6). — Vitae Maximini (c. 12) haec eius epistula ad senatum interiecta est: „Non possumus tantum, patres conscripti, loqui, quantum fecimus: per quadraginta quinquaginta milia Germanorum uicos incendimus, greges abduximus, captiuos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnauimus“; in qua „per quadraginta quinquaginta milia“ (ita enim est in B et P) iam Bonum Accursium ita offendit, ut ‚quinquaginta‘ omnino deleret. Salmasius uero inter illos numeros ‚et‘ interiecit neque tamen dubitationem sustulit, cum nulla intellegeretur ratio, cur sic non nonaginta milia dixisset. Sed accedit aliud incommodum: initio enim huius capitis idem Capitolinus narrauit: „Ingressus igitur Germaniam Transrhenanam per triginta [sic Salmasius] uel quadraginta [sic B] milia barbarici soli uicos incendit“, cum quo numero ille non conuenit neque adeo eum Maximinus augere potuit. Mihi potius ueri simile est, quinquaginta milium numerum eum scripsisse atque alterum numerum in tenorem orationis inrepsisse ex eo, quod aliquis diuersitatem, quam animaduerterat, in margine libri adnotarat. — Etiam manifestior erit interpolatio in uit. Claud. c. 2 ex conlata codd. B et P scriptura: „Quare etiam si centum et uiginti quinque annos Claudius uixisset, *ne* [add. Salmasius] necessariam quidem mortem eius exspectandam fuisse, ut Tullius de Scipione sic loquitur pro Milone, stupenda et mirabilis docet uita.“ quo quidem loco adiecta illa nota „sic loquitur pro Milone“ uel submouisse id quod scripserat Trebellius (ut exemplum ponam: ‚dixit‘ uel similia), uidetur. — Aliud glossema his ex uerbis uit. Gall. c. 12 eiciendum est: „Occupato tamen Odenato bello Persico, Gallieno rebus ineptissimis ut solebat incubante [sic BP] Scythae nauibus factis Heracleam peruenerunt atque inde cum praeda in solum proprium reuerterunt, quamuis multi naufragio perierint, nauali bello superati sint.“ sic enim B et P; uolgo edebatur: „nauali bello superati“, quod non posse ferri iam Salmasius animaduertit neque minus tamen a uero aberrauit, quod ipse, ut asyndeton illud amoueret, proposuit: „multi bello superati sint“, cum uerbum ‚multi‘ sequi ‚interfecti sint‘ uel simile aliquid necesse esset, enuntiatum „quamuis multi naufragio perierint, multi bello superati sint“ omni sententia careret. Omnes uero, qui de hoc loco egerunt, errauerunt in eo, quod hanc expeditionem Scytharum eandem habuerunt, quae capite sequenti refertur; duae diuersae enim hae et tempore et fortuna fuerunt, quarum priorem Odenato bello Persico occupato susceptam esse diserte Trebellius dixit, alteram Odenato interempto, deinde priorem excepto naufragio feliciter cessisse ex ‚quamuis‘ coniunctione elucet, altera eos uictos esse circa Pontum a ducibus Byzantinis memoriae traditum est. Quae cum ita sint, omnino delenda esse censeo uerba: ‚nauali bello superati sint‘ primo addita ex capite sequenti ab aliquo, qui omnes res Scytharum hic conplecti uoluit, deinde recepta in contextum forma ‚sunt‘, quae initio fuit, mutata in ‚sint‘ ad uerba antecedentia accommodata. — Eiusdem generis est glossema in uit. Marc. 16: „Nemo est principum,

quem non grauis fama perstringat usque adeo, ut etiam Marcus in sermonem uenerit, quod Verum ueneno ita tulerit [BPM cod. Reg.], ut parte cultri ueneno lita uuluam inciderit, uenenatam partem fratri edendam propinans et sibi innoxiam reseruans, uel certe per medicum Posidippum, qui ei sanguinem intempestiue dicitur emisisse. [Cassius post mortem Veri a Marco desciuit] Iam in suos tanta fuit benignitate Marcus, ut cum in omnes propinquos cuncta honorum [BM] ornamenta contulerit, tum in filium et Commodum quidem scelestum [BPM] atque inpurum cito nomen Caesaris." Ea enim, quae uncis inclusi, omnem turbant conexum neque quisquam dubitabit, quin ex margine in contextum falso recepta atque subditicia habenda sint. — Denique adscribam duos locos, quibus iam ab aliis idem corruptionis genus cognitum est; prior est in uit. Gord. c. 23, quem Becker (obseruat. in scriptores histor. Aug. pars I Vratislau. 1838 p. 20) indicauit: „Post hoc [BM] ueterani, ad curiam uenerunt, ut discerent quid actum esset. ex quibus duo ingressi Capitolium — interempti sunt. atque bellum intestinum ortum est, cum essent armati etiam senatores, ignorantibus ueteranis, quod Gordianus adulescens solus teneret imperium. [Dexippus quidem adseuerat ex filio Gordiani tertium Gordianum esse natum.] et posteaquam constitit apud ueteranos quoque solum Gordianum imperare, inter populum et milites ac ueteranos pax roborata est." cfer. c. 19: „contra Dexippus putat eius (Gordiani alterius) filium esse Gordianum tertium, qui post cum Balbino et Pupieno siue Maximo puerulus adeptus est imperium." Alterum glossema eiecit Salmasius in uit. Flor. c. 1: „Duo igitur principes (Tacitus et Florianus) una exstiterunt domo. quorum alter sex mensibus, alter uix duobus imperauerunt quasi quidam interreges inter Aurelianum et Probum. [post interregnum principis nuncupati.] Horum statuae fuerunt Interamnae et q. s." Tertium Casaubonus et Gruterus indicauerunt in uit. Hadr. c. 14: „Iam psallendi et cantandi scientiam prae se ferebat in uoluptatibus nimius. nam et de suis dilectis multa uersibus composuit. [amatoria carmina scripsit.] Idem armorum peritissimus et rei militaris scientissimus."

Atque haec quidem hactenus. Iam alteram adgrediamur partem, qua editores codicum uestigia, quae sequentes ad uerum peruenire possumus, summa libidine interpolando obleuisse et obscurasse demonstraturos nos esse supra professi sumus.

Initium faciat Numer. cap. 13 conpluribus conmentis inquinatum, quo mors Numeriani et initia imperi Diocletiani narrantur: „Diocletianum — Augustum appellauerunt, domesticos tunc regentem, uirum insignem, callidum, amantem reipublicae, amantem suorum et ad omnia, quae tempus quaesiuerat, paratum, consilii semper alti, nonnunquam tamen effrontis sed prudentis, nimia peruicacia motus inquieti pectoris conprimentis." Absurdum autem est Diocletianum fuisse consilii semper alti, nonnunquam tamen effrontis sed prudentis, neque quidquam opitulatur Salmasi coniectura ‚pudentis' pro „prudentis" proponentis, cum ne id quidem dici possit „consilii nonnunquam effrontis sed pudentis." Veram tamen uiam etiam hic nobis monstrauit cod. B, in quo non est ‚prudentis' sed ‚prudentiae', unde una littera ‚t' addita efficimus: „consilii semper alti, nonnunquam tamen effrontis sed prudentia et nimia peruicacia motus inquieti pectoris conprimentis", quod melius homini non omnis rationis experti conuenire existumo. Idem uero codex inter uerba antecedentia ‚quaesiuerat' et ‚paratum' intericit ‚tem', quod si reputantes litteras proximas auxerimus in ‚statim', etiam hic descriptionem multum iuuari concedendum nobis erit. Melius habita sunt uerba sequentia, quae tamen exscribam, ut conexus sententiarum perspicuus sit: „Hic cum tribunal conscendisset atque Augustus esset appellatus et quaereretur, quemadmodum Numerianus esset occisus, educto gladio Aprum praefectum

praetorii ostentans percussit addens uerbis suis: Hic est auctor necis Numeriani." Quae subsecuntur, sic uolgantur: „Sic Aper se ipsum foedauit et deformibus consiliis agens dignum moribus suis exitum dedit." In quibus uerbis miror quod neminem offendit „Sic Aper se ipsum foedauit", cum nullo pacto dici possit Aprum ea re, quod a Diocletiano caesus esset, se ipsum foedauisse. Abest tamen a cod. B molestum illud ‚se ipsum' neque nunc difficile est ueram restituere scripturam: „Sic Aper foeditate et deformibus consiliis agens." (cf. Carin. 16: „inormibus se uitiis et ingenti foeditate maculauit.") quamquam dubito, num iam tota periodus omnibus ex partibus sanata sit; nusquam enim, quod equidem sciam, „exitum dare" idem est quod ‚mori', sed coniungi solet cum illo substantiuo uerbum habendi aut quod argentea, quae dicitur, latinitate usu receptum est faciendi (cf. Suet. Ner. 45. Senec. ep. 115. Petron. sat. 2 p. 5 ed. Buech. 45 p. 51 B.). id quod similitudine litterarum propius accedit ad scripturam codicibus traditam: „Sic Aper foeditate et deformibus consiliis agens dignum moribus suis exitum fecit." Dein postquam rettulit Vopiscus uerba quibus usus Diocletianus Aprum percussisset: „Gloriare Aper, Aeneae magni dextra cadis", sic pergit: „Quod [ita BP] ego miror de homine militari, quamuis plurimos plus quam militares uel graece uel latine uel comicorum usurpare dicta uel talium poetarum", ubi quod habent editiones uerbum ‚sciam' post ‚quamuis' nulla nititur codicum auctoritate. quam notionem hic esse necessariam non negabo equidem, sed in alio mihi uidetur latere uerbo corrupto. neque enim opinor intellegetur, quid sint homines ‚plus quam militares', cum nullos alios Vopiscum quam militares in animo habuisse ex uerbis subsequentibus sequatur: „ipsi denique comici plerumque sic milites inducunt, ut eos faciant uetera dicta usurpare." quare „plus quam" non solum non superuacaneum est sed etiam turbat sententiam, ut in his litteris inesse mihi uideatur notio necessaria ad hanc periodum explendam: „probe sciam." quae emendatio hominibus rei palaeographicae peritis non uereor ne esse uideatur audacior, cum ‚pro' exaratum simplici p cum lineola subducta saepe in hanc litteram abierit.

Simili modo etiam duo alii loci magis deprauati sunt, alter est in uit. Saturn. c. 7: „Ac ne quis mihi Aegyptiorum irascatur et meum esse credat, quod in litteras rettuli, Hadriani epistulam Romam ex libris Phlegontis liberti eius proditam ex qua penitus Aegyptiorum uita detegatur." Sic B et M; in editionibus uerbis ultimis additum est ‚indidi', deletum ‚Romam', in quo (antecedit enim ‚m' littera) ea quae deest notio latere mihi uidetur „inseram." — Alter est in uit. Gord. c. 12: „Dicit Iunius Cordus istud senatus consultum fuisse tacitum"; ubi ‚tacitum', quod deest in B, suppletum est ab Egnatio ex sequentibus. qua uoce quamquam carere nos non posse concedendum est, tamen non adicienda est, sed eruenda ex litteris „istu" (sic enim est in B).

Ex reliquorum exemplorum multitudine iam pauca quaedam excerpam uitarum ordinem secutus: qui nobis primus occurit locus (Hadr. 17), iam a Bernhardyio (de scriptoribus hist. Aug. prooem. duo p. 29 sqq.) magna ex parte emendatus est neque tamen, ut mihi quidem uidetur, omnino absolutus. ita enim ille uir doctissimus omnibus aliis coniecturis refutatis scripsit: „Ad deprehendendas obsonatorum fraudes cum plurimis sigmatibus pasceret fercula de aliis mensis etiam ultimis quibusque iussit adponi" summo iure et delens alterum ‚cum' ab Salmasio post „fraudes" intrusum et „sigmatibus" pro eo, quod codices exhibent ‚summatibus', reponens: sed nescio an etiam apud hosce scriptores ea forma, qua constanter usi sunt scrip-

tores sequentium seculorum (cf. Fr. Haase in indice lect. Vratisl. hibern., quo primus edidit Gregorii Turonensis de cursibus ecclesiasticis libellum p. 42 et quos ibi adfert uiros doctos) uera sit ,simmatibus', quam eandem B et P in uit. Heliog. c. 25 („primus denique inuenit simma in terra sternere") exhibent. Alia tamen est caussa, cur ea uerba hic adtulerim, nam in B et P [a pr. m.] omnino deest ,iussit', quod sane superuacaneum est, cum facillumam nobis subministret coniecturam secunda manus cod. B ,adponit'. Quod uero id artificium esse principis Bernhardyius ratus est, „ut ab extremis tabulis cibos uiris inferioris loci destinatos sibi iuberet apponi", uereor, ut haec sententia in illis uerbis, ut uolgantur, inesse possit, cum ,adponere' absolute dictum nemo ita intellecturus sit, ut Bernhardyius uoluit, omnes potius ita, ut ,ultimis quibusque' datiui formam existument. Quare cum ,s, p, q' litterae simillume in codicibus illius aetatis exaratae saepe inter se conmutentur, pro ,quibusque' scribendum esse censeo ,sibi ipsi', ut haec Spartiani uerba fuisse putanda sint: „Ad deprehendendas obsonatorum fraudes cum plurimis simmatibus pasceret, fercula de aliis mensis etiam ultimis sibi ipsi adponit."

In uit. Ant. Pii c. 8: „Sed Repentinus famosa uoce percussus est, quod per concubinam principis ad praefecturam uenisset" remouendum est cum B et P „uoce" et corrigendum ,famosis', nam falsus est Salmasius, qui ,famoso' scripsit, cum solus numerus pluralis neutrius generis adiectiui eandem uim habeat, quam libelli famosi. uid. Du Cange, glossar. s. h. u. tom. III. p. 201.

Postquam Capitolinus de uitiis Veri egit, haec addit (in eius uit. c. 4): Sed Marcus haec omnia quasi nesciens dissimulabat rem, pudore illo, ne reprehenderet fratrem." Illud uero „quasi" omnino deest in B et P, qui eidem codices pro „rem" exhibent ,R' addita lineola supra eam litteram. Et sane concedendum est deesse aliquid, cum ea solum dissimulemus, quae scimus, neque tamen dici potest Marcum ea quasi nescientem dissimulasse. Itaque et lenius et sententiae aptius mihi uidetur ante „nesciens" interponere ,n̄' i. e. ,non'. Quod deinde iam Bonus Accursius edidit ,dissimulabat rem', cum antecederet „haec omnia" id iam Salmasium adduxit, ut omnino remoueret ex uerbis scriptoris illud ,rem' nimis festinanter, quae est eius consuetudo, hunc locum transiens. Equidem primo de aliis cogitaueram, nunc uero id mihi omnium maxime placet, quod Obrechtius coniecit: „dissimulabat prae pudore illo", quamquam ne sic quidem omnem dubitationem tolli confiteor. de re cf. uit. Anton. c. 15: „Tantae autem sanctitatis fuit Marcus, ut Veri uitia et celauerit et defenderit, cum ei uehementer displiceret" [sic B et cod. Murb.].

Postquam Caracallus Getam fratrem occidit, ut ille sibi insidias parasse uideretur, haec eum egisse Spartianus (in uit. Carac. c. 2) refert: „Dixit praeterea in castris fratrem sibi uenenum parasse, matri eum inreuerentem fuisse, egitque publice is gratias qui eum occiderunt. addidit denique is, qui fideliores erga se fuerant, stipendium." neque tamen haec est scriptura codicum sed debetur interpolationi eique admodum inscitae: ,qui fideliores erga se fuerant', cum non ,fuerant' sed ,fuissent' dicendum fuerit. Sed a codd. B et P et haec uox omnino abest et quae antecedunt, ita exhibentur: „his quos fidelioribus erga se", ex quo leni mutatione effeci: „addidit denique his quasi fidelioribus erga se stipendium. cf. c. 5: „militesque suos quasi Sullae milites et cohortatus est et donauit." c. 8: „et constat eum quasi fautorem Getae occisum." Aurel. 50: „Seruis suis uestes easdem imperator quas et priuatus dedit, praeter duos

seruos, quibus quasi libertis plurimum detulit." Car. 16: „Vulgo urbis Romae quasi populo Romano bona senatus promisit."

In uit. Diad. c. 3 nunc editur: „Haec sunt, quae de imperio pueri dicenda putaui", in cod. B est: „Haec quae de puero sint dicenda", unde hanc scripturam erui: „Haec fere de puero sunt dicenda."

Versus quidam a poeta aliquo in Alexandrum conpositi, quod leporem edere solitus sit, inde ab Egnatio sic editi sunt (in uit. Alex. c. 38):

„Pulchrum quod uides esse nostrum regem,
Quem Syrum sua detulit propago,
Venatus facit et lepus comesus,
De quo continuum capit leporem."

Atque id quidem Egnatius recte cognouit alteri uersui duas syllabas deesse, cum in codicibus sic scriptus sit: „Quod Syrum detulit propago"; quod uero adiecit ut metrum expleret ,sua' prorsus absurdum est neque magis id potest ferri, quod Salmasius coniecit: „Quem de Syria detulit propago", cum contra leges metri peccet. Verum potius Obrechtius repperisse mihi uisus est, quod ex eo qui antecedit uersu, addidit ,pulchrum.' qua tamen uoce initio uersus posita ut metro satis fiat, coactus est ,Syra' scribere pro ,Syrum'; in quo quidem nihil est quo offendamur. Multo magis aliud huius uersus uerbum emendatione eget, quod nullius adhuc suspitionem mouisse uehementer miror; numquam enim ,deferre' cum u. ,propago' ita coniungitur, ut idem sit quod ,procreari.' Itaque illam priscae latinitatis formam ,tetulit', quae ut multae aliae sermone plebeio retenta est (cf. Opil. 11 ,Si talem Graium tetulissent fata poetam', ubi contra codicum auctoritatem Bonus Accursius scripsit ,retulissent'), hic reponendam esse atque ,pulchrum' quod Obrechtius initio adiecit, fine uersus conlocandum ratus ita hunc uersum constitui recepto ,quem', quod suggessit nobis ed. Med., cum scripturam codd. B et P ,quod' hic genuinam esse persuadere mihi non possem:

„Quem Syrum tetulit propago *pulchrum.*"

Denique ultimus uersus ita a BPM exhibetur:

„De quo continuum capit leporem."

De mensura syllabarum in his uersibus uideas Corssenium, de Romanorum pronuntiatione etc. tom. II p. 415.

In uit. Gord. c. 24 uerbis his: „Euasisse nos grauem temporum maculam, qua per spadones et per illos, qui amici uidebantur [sic BM] — erant autem uehementer amici — omnia uendebantur, uoluptati et eo magis, quod [sic BPM] tibi gratior emendatio est," additum est ab Egnatio ,nobis est' inter uu. ,uoluptati' et ,eo magis', ut periodus qualiscumque efficeretur; multo facilius id continget, si ,et' mutauerimus in ,est'.

In trig. tyr. c. 9 haec de Ingenui morte referuntur: „Fertur sane idem Ingenuus ciuitate capta intrasse domum in qua se pugione transfodit atque ita uitam finisse, ne in tyranni crudelis potestatem ueniret"; sed deletis cum B et P uerbis quae interposuit Bonus Accursius haec restant ex is, quae deductis litteris describenda curaui: „ciuitate capta atque ita." quibus in litteris cum mortis generis descriptionem inesse manifestum sit, haece codicum

scripturae proxime accedere uisa sunt: „Fertur sane idem Ingenuus ciuitate capta laqueasse se atque ita uitam finisse.“

Eodem in libro c. 30 haec in editionibus leguntur, postquam triumphus Zenobiae descriptus est: „huic ab Aureliano *uiuere* concessum est.“ hic cum in B et P „uiuere“ omnino non sit, pro u. „concessum“: „concessa“, ueri similius est scripsisse Trebellium: „Vita ab Aureliano concessa est;“ quae mutatio uel nulla est, cum t et c litterae in membranis uix discerni queant et sequens uerbum ab ‚a‘ littera initium capiat.

INDEX LOCORVM EMENDATORVM.